


600095854.







QVAESTIONES

SCAENICAE

SCRIPSIT

WOLFGANGVS HELBIG

BONNAE
HENRY & COHEN
MDCCCLXI


BIBLIOTHECA·BODLEIANA·

FRIDERICO RITSCHELIO

OTTONI IAHNIO

PRAECEPTORIBVS

Graeci dramatis primis temporibus poetae in fabulis, quas fecerant, et agebant partes et chorum, chironomiam, saltationes, carminum cantandorum modos docebant. Quod ita fuisse et ipsa rerum natura ut credamus suadet et diserta Aristotelis atque Athenaei verba docent. Ille enim in rhetoricorum libro III, 1: „*ὑπεκρίνοντο γάρ*", inquit, „*αὐτοὶ τὰς τραγῳδίας οἱ ποιηταὶ τὸ πρῶτον.*" Athenaeus I, 22 a haec scribit: *φασὶ δὲ καὶ ὅτι οἱ ἀρχαῖοι ποιηταὶ Θέσπις, Πρατίνας, Καρκίνος* (sic recte Bentleius pro *Κρατῖνος* codicum scriptura), *Φρύνιχος ὀρχησταὶ ἐκαλοῦντο διὰ τὸ μὴ μόνον τὰ ἑαυτῶν δράματα ἀναφέρειν εἰς ὄρχησιν τοῦ χοροῦ, ἀλλὰ καὶ ἔξω τῶν ἰδίων ποιημάτων διδάσκειν τοὺς βουλομένους ὀρχεῖσθαι.* Itaque dubitari nequit, quin poetae Aeschylo antiquiores et — id quod statim videbimus — ipse adhuc Aeschylus in fabulis, quas in scaenam dabant, et chorum instruxerint egerintque ipsi in eis partes[1]). Quae primo adspectu labefactari videntur Chamaeleontis auctoritate. *Χαμαιλέων γοῦν*, inquit Athenaeus I 21 e, *πρῶτον αὐτόν* (Aeschylum) *φησι σχηματίσαι τοὺς χοροὺς ὀρχηστοδιδασκάλοις οὐ χρησάμενον, ἀλλὰ καὶ αὐτὸν τοῖς χοροῖς τὰ σχήματα ποιοῦντα τῶν ὀρχήσεων καὶ ὅλως πᾶσαν τὴν τῆς τραγῳδίας οἰκονομίαν εἰς ἑαυτὸν περιιστᾶν.* Quae falsa esse satis ex eo adparet, quod, quae ad comprobandam sententiam prolata sunt ex Aristophane testimonia, nihili sunt. Versus enim posteriore loco positi nullo modo quadrant in hanc quaestionem, prior versus „*τοῖσι χοροῖς αὐτὸς τὰ σχήματ' ἐποίουν*," quae verba Aeschylum dicentem facit Aristopha-

1) **Partes enim agere primus Sophocles desiit. v. infra pag. 2 s. f.**

nes, non solum non confirmat quod dixit Chamaeleo, immo, si quae scripta sunt respiciuntur neque quae non scripta sunt ex arbitrio adduntur, insigniter nostrae favet opinioni. Non enim dicit Aeschylus a se *primo* — id quod prorsus hariolatus est Chamaeleo — sed a se *ipso* choros instrui esse solitos. At notum est ab antiquae comoediae poetis Aeschyleam poesin nunquam antiquiori generi vel Choerileo vel Phrynicheo opponi, quod non multum abhorrebat ab Aeschyleo, sed semper Aeschylum cum Euripide, Meleto, ceteris posterioribus poetis componi, ut Aeschyleae poesis virtutes prae recentiorum vitiis extollantur. Praeterea iam ostendimus ex ipsa rerum natura atque disertis Aristotelis et Athenaei testimoniis antiquo tempore a poetis et partes actas et choros instructos esse. Quae cum ita sint, sine dubio Aeschylus illis verbis, quod ipse omnia in tragoediis suis administraverit, non adversus poetas ipso antiquiores, sed adversus Euripidem ceterosque recentiores ita gloriatur, a quibus raro partes actas neque semper chorum instructum esse statim demonstrabimus. Erravit igitur Chamaeleo, quod versum illum ad antiquiores poetas spectare et ab Aeschylo primo choros instructos esse credidit.

Itaque id mihi videor certo effecisse antiquis temporibus poetae, chori magistri, histrionis munera eiusdem fuisse hominis.

Ab hoc more primus recessit Sophocles. Qui propter tenuem qua laborabat vocem in eis fabulis nullas solebat agere partes, in quibus alta opus esset voce (*Σοφοκλέους γένος καὶ βίος* p. 127 v. 22 apud Westermannum). Verum Thamyrin egit, in qua fabula fidium excelluit cantu et in Plyntriis Nausicaae pila ludentis suscepit partes (Athen. I 20 f. Eusth. ad Od. p. 155. p. 1533): e quibus adparet Sophoclem musicarum artium fuisse peritissimum. Cuius rei hoc quoque est indicium, quod post victoriam Salaminiam Sophocles adulescens electus est, qui cithara canens choream duceret (*Σοφ. γ. κ. β.* p. 127 v. 20). Itaque admodum

fuisset mirum, si vir insigni, qua praeditus erat, indole non usus esset ad docendos choreutas, qui, si bene erant exercitati, egregie commendabant vel minoris pretii fabulam. Composuit praeterea librum de choro (Suid. v. Σοφοκλῆς) et in vita eius est traditum eum πρὸς τὰς φύσεις αὐτῶν (i. e. τῶν ὑποκριτῶν καὶ χορευτῶν) γράψαι τὰ δράματα, ταῖς δὲ Μούσαις θίασον ἐκ τῶν πεπαιδευμένων συναγαγεῖν. Ex quibus manifestum est artissimam Sophocli cum illis intercessisse consuetudinem, ut dubitari non possit, quin ipse in fabulis suis docuerit choros.

Sophocles igitur ex tribus illis quae dixi muneribus unum histrionale abiecit, retinuit duas tantum poetae et chori magistri partes.

Qui post eum extiterunt poetae, histrionis munere plerumque abstinebant, id quod disertis verbis vitae tradit scriptor. At is cum dicat „καὶ πολλὰ ἐκαινούργησεν (Sophocles) ἐν τοῖς ἀγῶσι πρῶτον μὲν καταλύσας τὴν ὑπόκρισιν τοῦ ποιητοῦ διὰ τὴν ἰδίαν μικροφωνίαν“, rem magnopere auget. Anticus enim mos, quo poeta ipse histrionis munere fungeretur, non prorsus abolitus est, sed etiam post Sophoclem fuerunt poetae, qui ipsi partes agerent in fabulis, id quod Agatho fecit (Suid. v. μυρμήκων ἀτραπούς et v. χορικός, Plato sympos. p. 194 b), Antiphanes comicus (Boeckh corp. inscr. I 350), Ischander Demosthenicae aetatis tragicus (Harpocr. v. Ἴσχανδρος, vita Aeschinis p. 269 v. 27), fortasse etiam Astydamas (Zenob. 5, 100).

Circum belli Peloponnesiaci tempora, praesertim autem mortuo Pericle augustissimo rerum Atheniensium moderatore, cum res publica in volgi potestatem cederet desineretque legum, quibus antea nitebatur, verecundia, etiam poesis scaenicae leges, quae usque eo adcurate observatae erant, neglegi coeptae sunt. Inde enim ab Ol. 89 (424—21) paullatim desierunt poetae versus ad antiquae subtilitatis normam excudere et in diverbiis sectari singularum partium concinnitatem. Vel prius chironomia sensim videtur mu-

tata esse. Etenim in antiquiorum poetarum fabulis choreutae gradiva quadam utebantur saltatione gravitatis maiestatisque plena (Aristot. poet. 4, p. 1449 Bekker; Athen. XIV, 628 e. 629 b. 630 d), quae sine dubio admodum similis erat ei chironomiae, quam in vetustioris artis operibus expressam videmus. Quod ut statuamus, et ipsa commendat apta necessitudo, quam in omnibus rebus inter artis opera atque poesin tragicam intercedere videmus, et diserte est traditum ab Athenaeo XIV, 629 b scaenicas saltationes ab antiquis artificibus repraesentari esse solitas. Cui generi fortasse satis sunt similes, qui in marmoribus sculpti etiam nunc feruntur dei deaeque sollemni pompa suspensisque gradibus, graviter atque concinne incedentes (Zoega bassi rilievi antichi tom. II, tab. 99—101). Aeschyli quidem fabulae fuerunt instructae illo saltationis genere (Athen. I, 21 e. 22 a). In Sophoclis chorica carmina suavitatis venustatisque plena, quanquam in antiquioribus eius tragoediis singula extant hyporchemata, haud satis quadrant gestus illi casci atque rigidi, multo minus in Euripidis volubiles verborum strepitus. Quanquam ornavit ille Carcinus poeta contra usitatam ea aetate consuetudinem tragoedias suas artificiosis saltationibus, tamen non contigit ei antiquam revocare artem, sed insigniter propter hunc conatum sugillabatur a comicis poetis (Aristoph. Vesp. 1500 sq.). Peloponnesiaci igitur belli tempore tragoediae aut nulla aut admodum rara saltatione erant instructae. Quapropter *Σκευῶν* comoediae auctor sive is Aristophanes est sive Plato antiquae artis memor sic cavillatur recentem usum (Athen. XIV, 628 e):

ὥστ' εἴ τις ὀρχοῖτ' εὖ, θέαμ' ἦν· νῦν δὲ δρῶσιν οὐδέν,
ἀλλ' ὥσπερ ἀπόπληκτοι στάδην ἑστῶτες ὠρύονται.

Alia fuit comoediae ratio. In qua saltationem eamque satis concitatam semper locum suum servasse ex Aristophanis fabulis etiam nunc superstitibus satis est manifestum.

Nec aliter musica ars illa aetate longe abhorrebat ab eo genere, quo antiquiores poetae tragoedias distinxerant.

Nam cum iam Pratinas Aeschyli aequalis natu maior tibiam in cantandis carminibus humanae voci praevalere questus esset (Athen. XIV, 617 c), Peloponnesiaci belli temporibus Melanippides, Phrynis, Cinesias, Philoxenus, Timotheus (v. Meinekium fragm. comicor. II, 1 p. 326 sq.) admodum mollibus artificiosisque modis auditoribus indulgebant. Quorum damnosa ratio, simul atque in lyrico genere corruptum erat volgi iudicium, celeriter in tragoediam irrepsit. Inde in Euripidis tragoediis creticae illae extannt monodiae (Aristoph. Ran. 849) et melodiae Caricae (Ran. 1302), quae non dubito, quin admodum abhorruerint ab antiqua castitate (Athen. XV, 665 d) fuerintque difficiliores quam quas apte cantarent choreutae. Quamvis igitur abolita saltatione negotium, quo perfungendum erat chorum docturo, aliquantum sublevatum esset, magnopere contra eius auctus est labor eo quod artificiosis illis modis cantatores instruendi erant. Ad quod officium cum insignis flagitaretur musicae artis cognitio, coeperunt poetae, quibus satis laboris in scribendis fabulis esset obeundum, chorum docendum aliis viris committere, qui data opera in illis rebus erant exercitati et — quoniam διδασκάλου nomen in ipsum transierat poetam, utpote qui antiquitus semper ipse docuisset chorum — vel χοροδιδάσκαλοι vel ὑποδιδάσκαλοι vocabantur (Phot., Hesych. s. v. ὑποδιδάσκαλος; Plato Ione 536 a).

Ex tragicis poetis primus, quem chori magistro usum esse hodie demonstrari potest, Euripides fuit, qui per Democratem chori magistrum Andromacham in scaenam commisit. Quas ex scholio Cobetiano concludo, quod ad Andromachae versum 446 sic est scriptum: „εἰλικρινῶς δὲ τοὺς τοῦ δράματος χρόνους οὐκ ἔστι λαβεῖν· οὐ δεδίδακται γὰρ Ἀθήνησιν· ὁ δὲ Καλλίμαχος ἐπιγραφῆναί φησι τῇ τραγῳδίᾳ Δημοκράτην.“ Quanquam, ut demonstrem Euripidis chori magistrum fuisse Democratem, satis copiosa opus erit disputatione. Primum, quod scriptum est „οὐ δεδίδακται γὰρ

"Ἀθήνησιν", hariolantis grammatici merae sunt nugae. Nam Euripides, quascunque fabulas extra Athenas in scaenam commisit, aut Magnesiae, aut, cum apud Archelaum degeret, ediderit necesse est. Verum constat Euripidem post olympiadem demum 93,1 (408) Athenis Magnesiam et inde ad Archelaum migrasse (Ritschl de Agathonis vita p. 14). Andromacha contra aut iam Ol. 89,3 (422), id quod mihi Zirndorferus probavit in chronologia Euripidea p. 45, aut Ol. 90,3 (418), quae Boeckhi est opinio (tragoediae Graec. princ. p. 189), et scripta est et acta, ut, quin Athenis prodierit, non possit dubitari. Nam Bernhardyi sententia (Grundr. d. griech. Litt. II, p. 414 ed. 2.), qui fidem habet scholiastae statuitque Andromacham scriptam esse quidem circum Ol. 89, verum per complures annos in scriniis retentam et tum demum extra Athenas in scaenam datam, admodum est artificiosa. Praeterea tam saepe in hac fabula ad res adluditur Atticas invehiturque tam saepe in Spartanorum perfidiam, qui et Ol. 89,3 et Ol. 90,3 conditionibus induciarum cum Atheniensibus factarum non satis suffecerant, ut adpareat paucula quae fabulae illi satis frigidae insunt lumina omnino non potuisse animadverti nisi cum Athenis et statim post commissa illa a Lacedaemoniis flagitia acta fuerit. Nemo autem negabit, quae in Andromacha extant in Spartanorum perfidiam maledicta, minime fuisse apta coram Archelao, quippe cuius pater Perdiccas, cum, prout ipsi profuit, modo Atheniensibus modo Lacedaemoniis opitulatus esset, ipsis illis temporibus Spartanos sublevaverit fueritque adversus Athenienses ipsis Spartanis multo perfidior (Abel, Makedonien vor Philipp, p. 186. 189). Videmus igitur falsa esse, quae scholiasta profert de Andromacha extra Athenas in scaenam data. Qui error unde sit ortus, infra explicabimus (v. p. 10).

Magni contra momenti sunt facienda, quae Callimachus dicit adcuratus philologus, cui praesto erant διδασκαλίαι,

i. e. indices dramatum ex publicis documentis excerpti [2]) (Schol. Nub. 552). Qui cum dicat Democratis nomen Andromachae Euripideae fuisse inscriptum, quaerendum est, quid significent illa verba. Quod ut perspiciatur, investigandum est, quando poeta non ipse, sed per chori magistrum docuerat fabulam, utrum in publicis documentis, quae proposuit magistratus festi curator constitutus, fabulae illi solius poetae nomen an et poetae et chori magistri an chori magistri solius sit inscriptum. Vt statim totius, quae secutura est, argumentationis proponatur summa: *solius inscribebatur chori magistri nomen.*

Quae res primum adparet ex similitudine, quae in cognato quodam genere observatur. Iam antiquissimo enim tempore mortuorum poetarum fabulas [3]) nondum actas sole-

2) Qualia enim fuerint rerum scaenicarum documenta, ex quibus grammaticorum derivenda est in hoc genere scientia, et quid sit, quod illi διδασκαλιῶν nomine significaverint, Rankii vestigiis insistens (v. vitam Aristophanis, quae praefixa est Pluto Thierschiano p. 131) adcurate quaesivi. Quae expositio cum latius flagitet spatium, quam quod huic scribendi occasioni sit concessum, in posterum tempus eam reicere satius duxi, proposui hoc loco, quod certa ratiocinatione mihi videor effecisse.

3) Bergkius in vita Aristophanea, quae inserta est Meinekii fragm. com. II, 2 p. 904, et Rankius in praefatione Aristophanis Meinekiani p. XIII statuunt vivos patres vel avos filiis vel nepotibus fabulas ab ipsis compositas dedisse, quas illi proprio nomine docerent eaque quasi propria laude fruerentur. Cui opinioni id obstat, quod, si vere patres voluerunt filios illarum fabularum auctores haberi, permirum accidit, quod res omnino in volgus emanavit viros illos non suis, sed patrum certasse tragoediis. Quanquam igitur fieri potuit, ut filii in scribendis fabulis a patribus adiuvarentur quapropter Iophontem cavillatur Aristophanes Ran. 77, quanquam id quoque fortasse aliquoties est factum, ut filius doceret tragoediam a patre scriptam quasi propriam eamque rem diligenter occultaret, tamen semper hoc aliquid fuit insoliti neque ullo modo potest evinci sollemnem fuisse usum, quo patres, ut poeticam filiorum indolem populo commendarent, eis fabulas ab ipsis scriptas docendas commit-

bant vel filii vel alii eorum consanguinei in scaenam committere. Iam Euphorio (Suid. v. Εὐφορίων) „τοῖς τοῦ πατρὸς Αἰσχύλου, οἷς μήπω ἦν ἐπιδειξάμενος, τετράκις ἐνίκα.“ Quae diserte monstrant non Aeschylum, sed Euphorionem Aeschyli dramatis certantem victorem esse nuncupatum. Qui cum victor esset nuncupatus, etiam huius nomen tragoediis illis in publicis documentis inscriptum esse veri simile est. Id quod certissimum fit ex alio eiusdem generis exemplo. Iophon enim (Suid. v. Ἰοφῶν) post Sophoclis patris mortem complures eius docuit tragoedias, de qua re ita scriptum est in scholio ad Aristophanis Ranas 78: „οὐ μόνον ἐπὶ τῷ ταῖς τοῦ πατρὸς τραγῳδίαις ἐπιγράφεσθαι κωμῳδεῖται, ἀλλ' ἐπὶ τῷ καὶ ψυχρὸς καὶ μαλακὸς εἶναι.“ Quae certissime ostendunt tragoedias illas Iophontis nomine in scaenam fuisse commissas et Iophontis, non Sophoclis nomen publicis documentis traditum esse. Praeter publica enim documenta non est quo referatur illud ἐπιγράφεσθαι. Nam hoc per se liquet in exemplaribus, quae a bibliopolis vendebantur, Sophoclis nomen inscriptum fuisse illis tragoediis, non Iophontis.

Demonstratum est igitur, cum mortuorum poetarum fabulae docerentur, non poetarum, sed eorum, a quibus doctae essent fabulae, nomina in publicis documentis inscribi esse solita. Cuius moris similitudo iam quodam modo evincit, cum vivorum poetarum fabulae a chori magistris

terent. Accedit, quod quae duo huius generis certa extant testimonia adfirmant post poetarum mortem demum fabulas esse doctas. *Mortuo* enim Sophocle Ol. 94,3 (401) nepos cognominis avi Oedipodem Coloneum dedit in scaenam (v. argumentum). Item Euripides Euripidis filius *post mortem patris* Iphigeniam Aulidensem, Alcmaeonem, Bacchas docuit (Schol. Arist. Ran. 67, cf. γένος Εὐρ. καὶ βίος p. 134 v. 28). Itaque Bergkio atque Rankio unum restaret, quo opinionem defenderent, Pluti argumentum quartum. At quae illic scripta extant, ex grammaticorum oscitantia derivanda esse remque ipsam longe aliter se habuisse demonstrasse mihi visus sum in huius dissertationis p. 27.

docerentur, etiam tum horum nomina, non poetarum in indicibus illis esse posita. At vel certissimis haec res confirmatur indiciis. In libello enim *περὶ κωμῳδίας* inscripto (p. 24 v. 16 Dindorf) de Aristophane sic est scriptum: „*ἐδίδαξε δὲ πρῶτος ἐπὶ ἄρχοντος Διοτίμου διὰ Καλλιστράτου. τὰς μὲν γὰρ πολιτικὰς τούτῳ φασὶν αὐτὸν διδόναι, τὰς δὲ κατ' Εὐριπίδου καὶ Σωκράτους Φιλωνίδῃ. διὰ δὲ τοῦτο νομισθεὶς ἀγαθὸς ποιητὴς τοὺς λοιποὺς ἐ π ι γ ρ α φ ό μ ε ν ο ς ἐνίκα. ἔπειτα τῷ υἱῷ ἐδίδου τὰ δράματα.*“ Callistratum et Philonidem Aristophanis fuisse chori magistros infra demonstrabimus. Quodsi scriptum est *ἐπιγραφόμενον* Aristophanem cetera dramata in scaenam dedisse, adparet antea non ipsius nomen inscriptum fuisse fabulis, quas fecerat, id est Callistrati et Philonidis chori magistrorum nomina in publicis documentis fabulis quas docuerant Aristophaneis esse imposita. Dicitque scholiasta ad Pluti versum 179 Philonidem *τὸν ἐν τοῖς Ἀριστοφανείοις ἐ γ γ ε γ ρ α μ μ έ ν ο ν δράμασιν.* Inde derivandum est, quod in Vesparum argumento *Προαγὼν* fabula Philonidis dicitur (*καὶ ἐνίκα πρῶτος Φιλωνίδης Προαγῶνι, Λεύκων Πρέσβεσι τρίτος*). Non enim potest dubitari, quin recte statuerit Bergkius in vita Aristophanis p. 911, quae in hoc argumento Philonidi tribuatur *Προαγὼν* fabula, nobilem esse Aristophanis comoediam, quam hic Philonidi docendam commiserit. Itaque grammaticus, quae vel in ipso publico documento vel, si hoc ei non praesto fuit, in didascaliis scripta reperit, religiosissime secutus est. In quibus cum Philonidis chori magistri nomen inscriptum esset fabulae, *Προαγῶνα* Philonidis dixit grammaticus. Qui utrum de industria publici documenti verba expresserit an, quia ignoravit quam modo exposui consuetudinem, Philonidem pro poeta habuerit, diiudicari non potest. Accedunt multae grammaticorum de nonnullarum fabularum auctoribus discrepantiae, quarum nulla excogitari potest caussa, nisi ea, quod non poetarum nomina, sed

chori magistrorum in publicis documentis ferebantur. De quibus dissensionibus infra pauca addam.

Neque ullo modo est mirum solius chori magistri nomen in publica documenta esse receptum neque ullam poetae rationem esse habitam. Quaecunque enim perficienda erant, dum fabula in scaenam committitur, non poeta, sed chori magister curabat. Is igitur apud archontem nomen profitebatur petebatque chorum (v. quaestionis nostrae p. 34). Itaque, cum solus chori magister ageret cum publicis magistratibus, etiam huius solius nomen publicis indicibus inscribi erat consentaneum.

Iam, unde digressi eramus, ad Andromachae illud redeamus scholion, in quo, quae scripta sunt „ὁ δὲ Καλλίμαχος ἐπιγραφῆναί φησι τῇ τραγῳδίᾳ Δημοκράτην", nemo iam dubitabit, quin significent chori magistrum fuisse Democratem, qui, cum docuerit Andromacham, fabulae illi in publicis documentis et in didascaliis, quae ex eis erant excerptae, inscriptus fuerit. Quod recte iudicatum esse quivis sentiet, qui viderit in scholio ad Plut. versum 179 Philonidem Aristophanis chori magistrum eisdem prorsus verbis esse significatum. Vbi sic est scriptum: „Φιλωνίδην δὲ οὐ τὸν ποιητήν φησι τὸν ἐν τοῖς Ἀριστοφανείοις ἐγγεγραμμένον δράμασιν, ὡς οἱ περὶ Καλλίστρατον ἐν τῇ ὁμωνυμίᾳ πλανηθέντες."

Ergo Democrates Euripidis chori magister fuit docuitque vel Ol. 89, 3 vel 90, 3 Andromacham eius tragoediam. Fuit igitur scriptum in publicis indicibus et in didascaliis Δημοκράτης Ἀνδρομάχῃ. In quibus scholiasta cum non reperiret Andromacham Euripidis nomine inscriptam, illa hariolatus est de Andromacha extra Athenas in scaenam data.

Vtrum semel tantum Euripides chori magistro fabulam docendam commiserit an saepius, non est certo traditum. Quanquam egregie convenit haec ratio ingenio viri σκυθρωποῦ et στρυφνοῦ (γένος Εὐριπίδου καὶ βίος p. 137

v. 84 et 86 Westerm.), qui ab hominum societate remotus in antro Salaminio solus studiis operam dedisse fertur (p. 137 v. 81). Cum vero constet morem illum, quo poetae fabulas chori magistris docendas darent, prima belli Peloponnesiaci parte rarum atque insolitum fuisse (v. quaestionis nostrae p. 28) veri simile est Euripidem quoque raro illis annis chori magistorum opera usum esse. Nam hoc certum est vel post Euripidem fuisse poetas, qui ipsi docerent choros. Qui enim Euripide minor fuit natu Agatho ipse chorum instruere solebat et fungebatur in fabulis suis modo coryphaei, modo histrionis munere (Suid. v. *χορικός*). Partes ab Euripide actas esse non credo. Nam et inusitatum erat illo tempore histrionis munus a poeta suscipi et minime quadrat officium illud in umbraticum hominem qualis fuit Euripides. Neque dubito, quin, si actor extitisset, aliquae in hanc rem spectarent poetarum comicorum cavillationes, qui nullam victus cultusque Euripidei partem intactam reliquerunt. Platonis aetate magnopere invaluit mos chori magistrorum opera utendi. Neque omnino sibi fingere potuerunt animo poetam seiunctum a chori magistro: siquidem Plato in Ione dialogo (p. 536 a) *ὁρμαθὸν πάμπολυν χορευτῶν τε καὶ ὑποδιδασκάλων* cum poetis plerumque coniunctum commemorat. Cui rei optime congruunt singula de poetis testimonia. Est enim de Aphareo poeta sic scriptum in Isocratis vita pseudoplutarchea (p. 253 v. 55): *„ἐποίησε δὲ καὶ τραγῳδίας περὶ λζ', ὧν ἀντιλέγονται β'. ἀρξάμενος δ' ἀπὸ Λυσιστράτου διδάσκειν ἄχρι Σωσιγένους ἐν ἔτεσιν κη' διδασκαλίας ἀστικὰς καθῆκεν ς' καὶ δὶς ἐνίκησε διὰ Διονυσίου καθεὶς καὶ δι' ἑτέρων ἑτέρας δύο Ληναϊκάς.* Aphareus igitur inter Ol. 103, 1 (368) et 109, 4 (341) Dionysio usus est chori magistro et praeterea aliis, quorum nomina non addit scriptor, et, quotiescunque Aphareus reportavit victorias, nunquam ipse, sed semper chori magister eius docuit fabulam, ut probabile sit etiam ceteras, quibus non vicerit, tragoedias ab aliis esse in scae-

nam datas. Eodem fere tempore Sannio quoque choris docendis operam dabat, qui a Demosthene commemoratur in Midiana oratione § 58. Neque dubitari potest, quin idem fuerit ille Sannio ac qui in Aeschinis vita (p. 269 v. 26) Ischandri poetae dicitur chori magister: „Δημοχάρης δ' ὁ ἀδελφιδοῦς Δημοσθένους, εἰ ἄρα πιστευτέον αὐτῷ λέγοντι περὶ Αἰσχίνου, φησὶν Ἰσχάνδρου τοῦ τραγῳδοποιοῦ τριταγωνιστὴν γενέσθαι τὸν Αἰσχίνην καὶ ὑποκρινόμενον Οἰνόμαον διώκοντα Πέλοπα αἰσχρῶς πεσεῖν καὶ ἀναστῆναι ὑπὸ Σαννίωνος τοῦ χοροδιδασκάλου.“ Ischander infimi ordinis fuisse videtur poeta, qui in usum gregis rure vagantis (Demosth. de corona 180. 242) scribebat fabulas. Itaque cum ne hic quidem ipse chori docendi officium subierit, multo minus veri est simile nobiliores illius aetatis poetas munere illo laborioso esse functos.

Itaque, ut iam in breve redigamus, quae copiose modo explanavimus, in tragoedia haec rerum illarum fuit ratio:

Poetae tragici primum ipsi et histrionum et chori magistrorum muneribus sufficiebant. Sophocles abiecto histrionis munere chori magistri officia ipse exsequebatur. Euripides neque agebat partes in fabulis neque semper ipse docuit chorum. Posteriore aetate poetae plerumque chori magistrorum utebantur opera, qui durasse videtur usus, dum omnino agebantur tragoediae.

Vnde possumus conicere, difficillimas nonnunquam quaestiones fuisse antiquorum scriptorum, qui rebus scaenicis illustrandis operam dederunt. Nam, cum in posterioris aetatis publicis documentis tantum non semper non poetarum, sed chori magistrorum nomina inposita essent fabulis, adcurate eis erat inquirendum, utrum, qui cuivis fabulae esset inscriptus, ipse eam et scripsisset et docuisset an chori esset magister, qui fabulam ab alio scriptam dedisset in scaenam. Itaque cum demonstratum esset chori magistri nomen fabulae esse inpositum, iam opus erat, ut quaereretur, cuius poetae esset fabula a chori magistro illo in scaenam

commissa. Quae quaestiones nonnunquam eo erant impeditiores, quod fuerunt, qui et chori magistri et poetae exsisterent. Sicut traditum est Philonidem, qui Aristophanis docebat fabulas, ipsum quoque fabulas scripsisse (v. quaestionis huius p. 17). Verum una re aliquantum sublevatum est hoc genus quaestionis. Vt enim eidem poetae eisdem fere utebantur histrionibus, sic sine dubio eidem chori magistri solebant ab eisdem poetis in auxilium vocari. Quem ad modum Aristophanes in primis Callistrati et Philonidis utebatur opera. Vnde grammatici, cum scirent, quibus chori magistris hic vel ille poeta usus esset, inspectis chori magistrorum nominibus saepe potuerunt divinare, qui poetae tanquam laterent sub illis.

De his rebus iam Aristoteles, qui primus exponendis literarum antiquitatibus operam impendit, egit in opere, quod scripsit *περὶ διδασκαλιῶν*. In quo actionum scaenicarum praebuit indices (Schol. Aristoph. Av. 282. 1379; Suid. v. *Ὄνου σκιά*) ordine chronologico dispositos (Schol. Plat. ap. p. 330 Bekk.) antiquitatesque theatrales ita videtur tractasse, ut ad quemvis annum adnotaret, quid mutatum fuisset in rebus scaenicis [4]. Quousque pertinuerit liber in tanta reliquiarum penuria non potest diudicari. Certum est mediae comoediae fabulas respexisse Aristotelem. Nam *Ὄνου σκιά* titulus, quem in hoc libro notatum esse e Suida constat, mediae comoediae est proprius. Atque in hoc opere vel illud quaesitum esse, utrum, qui singulis fabulis essent inscripti, poetae an chori magistri fuissent, ex Harpocrationis verbis colligo, quae sub voce *διδάσκαλος* scripta extant: *ἰδίως διδασκάλους λέγουσι τοὺς ποιητὰς τῶν διθυράμβων ἢ τῶν κωμῳδιῶν ἢ τῶν τραγῳδιῶν. Ἀντιφῶν ἐν τῷ περὶ τοῦ χορευτοῦ* (§ 11) „*ἔλαχον*“, *φησί*,

4) Schol. Ran. 406: *ἐπὶ γοῦν τοῦ Καλλίου τούτου φησὶν Ἀριστοτέλης ὅτι σύνδυο ἔδοξε χορηγεῖν τὰ Διονύσια τοῖς τραγῳδοῖς καὶ κωμῳδοῖς.* Quae non dubito quin repetenda sint ex opere quod *περὶ διδασκαλιῶν* edidit.

sed eorum, a quibus in scaenam datae essent, nomina esse inscripta et Antigonam illam hic Iophontis, illic Sophoclis nomine insignitam unam eandemque esse fabulam, sed diversas fabulas esse credidit eamque, quam in manibus habebat Antigonam, — quae haud dubie fabula erat nobis superstes; nam duas fuisse Antigonas neque usquam est traditum neque veri simile est — statuit ab Iophonte esse scriptam. Quae quoquo se habent modo, aliam rationem, qua facilius explicetur singulare illud commentum, neque excogitavit quisquam neque excogitabit.

Iam videamus, qua ratione in fabulis in scaenam committendis comici usi fuerint poetae. Quorum ex numero Aristophanes Callistrato et Philonidi comoedias docendas dabat. Hos chori magistros fuisse statuo, qua unica ratione omnes removentur scrupuli, quos, quicunque antea de hac re quaesiverunt, non penitus sustulerunt. Quanquam optime de Callistrato et Philonide disseruerunt Bergkius in vita Aristophanis, quae inserta est Meinekii fragmentis comicorum II, 2 p. 902, atque Engerus in Iahnii annalium vol. LXXIII, p. 337, qui in summa rerum tam prope accesserunt ad ipsam veritatem, ut tanquam casu factum esse videatur, quod hanc quaestionem non ad omnes numeros absolverint.

Vt, quaecunque de hac re prolatae sunt opiniones, singillatim refutentur, neque spatium permittit, quod concessum est huic scribendi generi, neque est necessarium, cum antiquiorum errores Bergkius, Kockii qui Gubenae 1855 de Philonide et Callistrato edidit dissertationem, Engerus adfatim redarguerit. Praeterea id quoque quemvis mihi concessurum esse spero, ut praetermittam, quae ab aliis certo sunt demonstrata. Sic, quod Bergkius egregie observavit pessimam in his quaestionibus scholiastarum grammaticorumque esse fidem (p. 924) quodque certissime demonstravit Meinekius legem illam annalem varie a viris doctis iactatam grammaticorum deberi hariolationibus

(hist. crit. p. 104), haec singula repetere nolo, sed pro demonstratis utar his rebus.

Philonides et Callistratus quod non solum choros docebant, sed praeterea etiam poetae extiterunt, nullius in hac quaestione est momenti. Id quod non magis est mirum, quam quod Crates et histrio fuit et poeta (hist. crit. p. 59). Philonidis tres servati sunt comoediarum tituli *Φιλέταιρος*, *᾿Απήνη*, *Κοθόρνοι* (hist. crit. p. 102). Callistratum quoque poetam extitisse ex Vesparum versu 1018 concluditur, ubi Aristophanes poetas dicit, quibus, quas Equitibus priores scripserit fabulas, docendas commiserit. Quod poetas eos potius dixit, quam chori magistros, primo adspectu admodum videtur singulare. Cuius rei haec est ratio, quod prorsus recens illo tempore mos erat fabulas aliis committendi (v. quaestionis nostrae p. 28) neque dum *χοροδιδασκάλου* sive *ὑποδιδασκάλου* nomen in usum venerat, quo vocabulo postea significabatur qui chori docendi artem erat professus. Itaque Aristophanes, cum aliquo modo viros illos vellet significare neque praesto esset vox propria, qua illorum officium apte exprimeretur, quia poetae erant, dixit eos poetas. Aristophanes, quascunque ante Equites scripserat comoedias, aliis tradidit docendas (Vesp. 1029, Schol. Vesp. 1014). Ex quibus Epulones primam eius fabulam docuit Callistratus. Scriptor enim *περὶ κωμῳδίας* p. 24 v. 16: „*ἐδίδαξε δέ*“, inquit, „*πρῶτος ἐπὶ ἄρχοντος Διοτίμου διὰ Καλλιστράτου*. Idem Babylonios quoque in scaenam dedit id quod a Suida et Photio traditur v. *Σαμίων ὁ δῆμος* . . . . *τοὺς δέ Βαβυλωνίους ἐδίδαξε διὰ Καλλιστράτου ᾿Αριστοφάνης ἔτεσι πρὸ τοῦ Εὐκλείδου κδ' ἐπὶ Εὐκλέους*. De quorum testimoniorum fide addito praesertim archontis nomine — unde veri simile fit ex ipsis didascaliis ea esse hausta — non est, cur dubitetur. Acharnenses denique a Callistrato doctam esse ex fabulae adparet argumento [6].

6) Qua in fabula cum e versu 377 coniecerit Kockius p. 24 primas partes actas esse a Callistrato — ut, quanquam multa proferri

Quaeritur, cur Aristophanes non ipse docuerit has fabulas, sed aliis dederit docendas. De qua re sic fere argumentantur viri docti: Aristophanem, cum Epulones primam ipsius fabulam in scaenam commissurus esset, timuisse, ne archon ignoto alioquin adulescentulo chorum negaret (Bergkius p. 903. Engerus p. 343). Qua verecundia motum Callistrato satis iam noto poetae mandasse, ut in Epulones fabulam, quasi ipse scripsisset, chorum peteret eamque committeret in scaenam (Bergkius p. 908. Engerus p. 343). Iam vide, quanta difficultate laboret haec ratiocinatio. Etenim, quo iure statuant Callistratum notum fuisse poetam, prorsus non perspicio. Immo satis ignobilis videtur fuisse, quippe cuius nomen spissa premat caligo. Nullus enim comicus eum commemorat poeta neque ullius eius comoediae titulus servatus est neque ullum fragmentum. Quid quod eum poetam fuisse ex uno Aristophanis conicitur versu (Vesp. 1018: *τὰ μὲν οὐ φανερῶς, ἀλλ' ἐπικουρῶν κρύβδην ἑτέροισι ποιηταῖς*). Cur Aristophanes non Eupolidem potius adiit poetam, cum quo eum priore illo tempore praecipua familiaritate coniunctum fuisse constat (Schol. Equ. 1288) eumque rogavit, ut in Epulones quasi ab ipso scriptam ab archonte chorum peteret? Vel, si noluit Eupolis comoediae ab alio scriptae ipsius praebere nomen, poeta ille multis iam victoriis insignis Aristophanis comoedias commendare potuit archonti, qui sine dubio fidem habuisset viro celebratissimo. Qui tolluntur scrupuli, si statuimus Callistratum ignobilem fuisse poetam, at optime gnarum artium, quibus opus fuerit ad docendum chorum; Aristophanem statim initio sui ipsius poeticae indoli esse confisum (v. quaestionis nostrae p. 21), at noluisse docere chorum, quippe in qua re in-

possunt contra illam coniecturam, largiamur eum recte statuisse — nequaquam hoc infringit id, quod dixi chori magistrum fuisse Callistratum. Optime enim potuit fieri, ut, qui chorum docuisset, etiam primas in fabula susciperet partes, id quod Agathonem fecisse vidimus (p. 11).

signi opus esset artium musicarum peritia atque exercitatione, et officium illud mandasse Callistrato harum rerum peritissimo, qui, si bene exercuisset chorum, fabulae venustatem egregie auctum iri rectissime statuit.

Aliam viam, qua hanc difficultatem removeret, Rankius ingressus est in praefatione Aristophanis Meinekiani p. XX. Ni mirum fidem abnegat illi *περὶ κωμῳδίας* scriptori, qui Epulones a Callistrato doctam esse tradit, statuitque errori Callistrati nomen deberi et primam Aristophanis fabulam a Philonide quippe qui nobilior fuisset poeta (v. p. 17) in scaenam esse datam. Cui sententiae insignis primo adspectu accedit commendatio ex Vesparum illo versu 1018: „*τὰ μὲν οὐ φανερῶς, ἀλλ' ἐπικουρῶν κρύβδην ἑτέροισι ποιηταῖς.*“ Vbi permira sunt illa *ἑτέροισι ποιηταῖς* plurali numero posita. Nam in tribus, quae priores Equitibus prodierunt, fabulis in scaenam committendis unius Callistrati opera Aristophanem usum esse diserte est traditum (v. p. 17). Vnde sane possit conici esse aliquid in tradendo Callistrati nomine erratum et unam illarum fabularum a Philonide doctam esse. At, qui tandem sciunt viri docti illud, quod omnes uno ore repetunt, tres tantum fabulas ante Equites doctam ab Aristophane scriptas esse? Nusquam hoc est traditum neque extat, quod nos impediat, quo minus statuamus plures quam tres illas ante Equites prodiisse in lucem. Nonne potuit Aristophanes id quod posteriore tempore eum fecisse constat duas uno anno fabulas scribere? Cum enim Ol. 89,1 (424) et Equites eius et Holcades (Bergkius p. 1114 sq.), Ol. 89,3 (422) et Vespae et Proagon, fortasse etiam secundae Nubes, Ol. 91,3 (414) Aves et Amphiaraus prodierint, quid est, cur statuamus iuvenilibus viribus gestientem eum minus fuisse fecundum? Immo ipsa illa *ἑτέροισι ποιηταῖς* plurali numero posita diserte monstrant, antequam ipse docuerit Equites, non uno Callistrato, sed pluribus adiutoribus usum esse Aristophanem. Et, cum

certis testimoniis sit traditum tres illas fabulas, quae solae Equitibus priores prodiise traduntur, a Callistrato esse doctas, adparet praeter illas vel unam vel plures actas esse comoedias, quae ab aliis, fortasse a Philonide, fuerint doctae. Quod si statuimus, non est necesse, ut cum Rankio illius περὶ κωμῳδίας scriptoris auctoritas impugnetur. Sed hac, quam ego proposui, ratione, eorum quae tradita sunt in antiquis fontibus servata fide supplentur via veri satis simili. quae temporum iniuria ex eis interciderunt. Quanquam in tanta testimoniorum paucitate non potest diudicari neque utrum una an plures praeter Epulones, Babylonios, Acharnenses prodierint neque, quo nomine argumentove fabulae fuerint. Cuius rei ansam fortasse praebet Acharnensium versus 642 „καὶ τοὺς δήμους ἐν ταῖς πόλεσιν δείξας, ὡς δημοκρατοῦνται." Quem ad talem, de qua nunc agimus, fabulam spectare erit fortasse qui coniciat. Nam illis quae antecedunt (634—35) certo constat Babylonios significari (Bergkius p. 966). Quibus post copiosiorem Atheniensium vanitatis descriptionem (636—41) tanquam nova res additur illud „καὶ τοὺς δήμους ἐν ταῖς πόλεσιν δείξας, ὡς δημοκρατοῦνται." Quod profecto satis late patens argumentum non videtur quasi ἐν παρέργῳ potuisse tractari, sed aptissimum fuit, quod in una comoedia solum perageretur. At, cum hic quaerere velim, non hariolari, iam video mihi obmutescendum esse.

Ipsa igitur adcurate perpendamus Aristophanis verba, quae ad hanc quaestionem pertinent, num commendent nostram opinionem. Vbi illud est recordandum chori magistrum non solum docendi chori finibus se continuisse, sed etiam nomen professum esse apud archontem et curasse quaecunque praeterea dum fabula in scaenam datur erant administranda[7]), et huius, non Aristophanis nomen inscrip-

7) Solebant enim praesto esse chori magistri, cum fabula ageretur, histrionesque, ubi opus erat, adiuvare. V. Aeschinis vitam pseudoplutarcheam p. 269 v. 26.

tum esse publicis documentis. Nam ad varias has chori magistri partes identidem adludi ab Aristophane statim videbimus. Ex Equitum parabasi huc quadrant versus inde a 512. Vbi, cum in hac fabula primum et poetae et chori magistri muneri satisfecerit (v. argumentum, Vesp. 1029, Schol. Vesp. 1014), chorum voluit exponere, cur antea ipse fabulam non docuerit. In primis huc spectat versus 516:

νομίζων

κωμῳδοδιδασκαλίαν εἶναι χαλεπώτατον ἔργον ἁπάντων,

quem sic interpretatur Bergkius: „difficillimam esse artem comicam, quae paucis quibusdam bene processerit; se igitur antea experiri voluisse, quid vires valeant ferre.“ Vbi, quae a Bergkio dicitur „ars comica“, quia et ποίησιν continet et χοροδιδασκαλίαν, nimis late patet. Ni mirum ad poeticam Aristophanis indolem haec verba spectare omnino non possunt. Poetica enim eius virtus, cum quamvis non ipse docuerit fabulam, auctoris nomen statim percrebesceret[8]), in certamen non vocari non potuit. Praeterea se poetica virtute praeditum esse quivis sentit verus poeta sensitque Aristophanes, qui in Acharnensium parabasi insigni iam de se loquitur fiducia. Itaque quoniam ποιήσεως vis ab illis verbis prorsus abhorret, κωμῳδοδιδασκαλία primitiva significatione est intellegenda. Poetae igitur muneri se clarissime sufficere posse persuasum habuit Aristophanes, verum difficilius ei visum est comicum chorum instruere. Poesis enim ingenii est virtutisque nativae; at chorum docturo opus est artium scaenicarum usu atque exercitatione. Qua cum etiam tum careret Aristophanes, quas ante Equites scripsit comoedias nominibus dedit docendas illarum rerum peritioribus.

In hac argumentatione si quae sunt incertiora, de quibus possit in utramque partem disputari, certissime confirmatur mea sententia versibus, qui paullo post inde a versu 541 secuntur:

8) Cum enim ipse Equites doceret, iam notum erat in volgus antea fabulas Aristophaneas ab aliis in scaenam esse datas. v. 512 sq.

τυῖτ' ὀῤῥωδῶν διέτριβεν ἀεὶ καὶ πρὸς τούτοισιν ἔφασκεν
ἐρέτην χρῆναι πρῶτα γενέσθαι, πρὶν πηδαλίοις ἐπιχειρεῖν,
κᾆτ' ἐντεῦθεν πρῳρατεῦσαι καὶ τοὺς ἀνέμους διαθρῆσαι,
κᾆτα κυβερνᾶν αὐτὸν ἑαυτῷ.

Quae comparatio tum demum poterit intellegi, si statuerimus Aristophani difficilius visum esse chori instruendi munus. Prorsus inextricabilibus laqueis hoc loco implicantur, qui de poetae munere verba fieri credunt. Operae pretium est ipsius Bergkii (p. 916) inspicere verba: „Contendit igitur poeta prudenter tam arduum ac difficile opus esse adgrediendum neque statim summum honorem expetendum: quam sententiam non inscite imagine aliqua ex rebus navalibus petita illustrat: in qua illud noli nimis efferro, quod tria quasi genera distinxit neve inde conicias sic etiam in comici poetae munere tres quasi gradus dispescendos esse: verum nihil aliud hoc exemplo docet poeta, quam, quemadmodum in navi primum quis remigio adiunctus aliorum imperiis obediat, post in prora ventum observet, denique ad clavum regendum accedat, ita etiam in comica arte sensim et quasi per gradus summum fastigium esse petendum: significat igitur poeta nihil aliud quam se primum aliis poetis honorem lubenter concessisse eorumque imperio subiunctum fuisse, nunc demum a praetore chorum petere ausum esse.“

Quam comparationem libere profiteor mihi non modo non scitam, sed admodum insulsam videri. Pessime enim inter se componuntur, quod apud Aristophanem est „*ἐρέτην χρῆναι πρῶτα γενέσθαι*“ et illa, quam Bergkius statuit, ratio, qua Aristophanes primum aliis poetis honorem lubenter concesserit. Illi, quod secundo loco est positum „*κᾆτ' ἐντεῦθεν πρῳρατεῦσαι*“, ne est quidem secundum Bergkianam rationem, quod opponatur. Quadrat igitur ultimum tantum imaginis membrum. Omnia contra egregie procedunt, si ad chori instruendi peritiam referuntur isti versus. Quos solus recte intellexit Droysenus in Acharnensium praefatione

p. 159, qui statuit significari illis verbis ab Aristophane, antequam ipse doceret Equites, vel choreutae vel histrionis partes esse actas. Sine dubio res ita fere se habuit. Voluit Aristophanes, antequam ipse chori docendi subiret periculum, quaecunque opus essent chori magistro, penitus perdiscere. Itaque Callistrati fruens disciplina, ut ex usu res illas perciperet, primum volgaris extitit choreuta (*ἐρέτην πρῶτα γενέσθαι*), deinde fortasse coryphaei suscepit munus (*κἆτ' ἐντεῦθεν πρῳρατεῦσαι*), denique ipse chorum docuit (*κᾆτα κυβερνᾶν αὐτὸν ἑαυτῷ*). Quam rationem quanquam ad omnes numeros talem fuisse, qualem proposui, certis argumentis demonstrare non possum, tamen ea similis fuerit necesse est, ne corruat tota comparatio, suadentque, ut ita statuamus, ipsa verba ab Aristophane adhibita. Et aliquando ab Aristophane vel histrionis vel choreutae vel coryphaei munus susceptum esse perspicitur ex diserto ipsius testimonio, quod viros doctos omnes usque adhuc latuisse valde miror. In Pacis enim, quae ab ipso docta est, parabasi poeta, ubi ipsius praedicat merita, sic verba facit (760):

ὧν εἵνεκα νυνὶ
ἀποδοῦναί μοι τὴν χάριν ὑμᾶς εἰκὸς καὶ μνήμονας εἶναι.
καὶ γὰρ πρότερον πράξας κατὰ νοῦν οὐχὶ παλαίστρας περινοστῶν
παῖδας ἐπείρων, ἀλλ' ἀράμενος τὴν σκευὴν εὐθὺς ἐχώρουν,
παῦρ' ἀνιάσας, πόλλ' εὐφράνας, πάντα παρασχὼν τὰ δέοντα.

Vbi *σκευή*[9]) omnino non potest intellegi nisi *σκευή* theatralis. Qua sublata cum theatro exiisse dicatur Aristophanes, manifestum est ab eo aliquas partes actas esse in fabulis.

Item alia comparatio, quam in Nubium parabasi (529—33) profert Aristophanes, egregie meae convenit sententiae. Optime enim poeta, qui fabulam ab ipso scriptam

9) *Σκευή* in primis de personis scaenicis dicebatur, unde *σκευοποιός* adpellabatur, qui faciebat personas. v. Pollux II, 47. Schneider att. Theaterwesen p. 157.

alii mandat, a quo in scaenam committatur, conferri potest cum puella, quae infantem ab ipsa partum exponit, quem alia tollat educetque. Quae rationes eo similiores fuerunt, quo et infans in nomen eius cedere solebat, a quo esset sublatus, et ferebatur in publicis documentis comoedia eius, a quo in scaenam esset commissa.

Similis in Vespis versuum 1016—20 est ratio. Nam aptissime Aristophanes, cum de fabulis loquatur, quas, antequam ipse docere coeperit, per alios commisit in scaenam, dici potest in aliorum ventribus latuisse, cum non ipsius, sed illorum nomina publicis inscripta sint documentis.

Haec sunt, quae in ipsis Aristophanis fabulis ad nostram pertinent quaestionem. Quae omnia tantum abest ut obloquantur ei, quam statui, sententiae, ut insigniter ei faveant.

In Equitibus Aristophanes primum ipse chori docendi subiit periculum. Cuius rei duplex potest cogitari ratio. Fortasse satis sibi profecisse visus est in rebus, quae pertinent ad chorum docendum, voluitque experiri, num etiam huic muneri par esset. Aut noluit quisquam docere comoediam, in qua Cleo tam vehementer exagitaretur, praesertim cum Callistrato, quia Babylonios docuerat, in qua fabula Cleo obiter fuerat lacessitus, Cleone auctore lis esset intenta (Schol. Vesp. 1275), et, ut omnino ageretur Equites, ipsi Aristophani docenda fuit fabula. Tale quid sine ulla dubitatione olim scriptum extitit in secundi argumenti ultimis verbis pessime mutilatis atque interpolatis: „*κατὰ τὰς ὑποσχέσεις οὖν ἐστρατήγει* (Cleo) *κυκῶν τὴν πόλιν. ἐφ' οἷς μὴ ἐνεγκὼν Ἀριστοφάνης καθίησι τὸ τῶν Ἱππέων δρᾶμα δι' αὑτοῦ, ἐπεὶ τῶν σκευοποιῶν οὐδεὶς ἐπλάσατο τὸ τοῦ Κλέωνος πρόσωπον διὰ φόβον. καὶ τὰ μὲν πρῶτα κύπτει φοβούμενος, εἶτα προφανεὶς αὐτὸς ἀνεδίδαξε τὸ δρᾶμα.*“ Vbi „*ἐπεὶ τῶν σκευοποιῶν οὐδεὶς ἐπλάσατο τὸ τοῦ Κλέωνος πρόσωπον διὰ φόβον*“ verba inculcata sunt a stupido grammatico, qui non intellexit *καθίησι δι' ἑαυτοῦ* locutionem ad eum pertinere, qui fabulam in scaenam committeret, sed

histrionem ita significari credidit. Qua interpolatione fortasse semotum est enuntiatum, quo scriptum exstitit neminem suscipere voluisse fabulae illius docendae negotium. Quo genere corruptelae in his argumentis nihil est usitatius.

At maxime mirum illud fortasse videbitur, quod Aristophanes, postquam Equites fabula, quam primam ipse docuerat, tantopere placuit, statim desiit chorum ipse instruere. Nubes quis in scaenam commiserit, ignoramus. Verum Vespas et Proagona (Vesparum arg. I) docuit Philonides. Ipse iterum duas Paces (arg. III), Aves Callistratus, Philonides Amphiaraum (Avium arg. II), Lysistratam Callistratus in scaenam dedit. De Thesmophoriazusis res non constat. Ranas Philonides docuit. Ecclesiazusas quis docuerit, non est traditum. Plutum ipse docuit Aristophanes, Cocalum et Aeolosiconem Araroti filio dedit docendas (Pluti arg. IV). Nec abhorret a veri similitudine, cum plurimas traditum sit fabulas ab aliis doctas esse etiam earum, de quibus nihil fertur huiusmodi, complures ab Aristophane aliis fuisse commissas. Iam est quaerendum, quales potissimum ipse docuerit comoedias, quales alios docere iusserit. Cuius rei ratio in ipsarum fabularum indole est quaerenda. Neminem enim fugiet differentia quae est inter eas, quas ipse Aristophanes docuit, atque eas, quas aliis docendas mandavit. Ni mirum in eis, quas ipse in scaenam dedit — quoad a nobis de talibus rebus potest iudicari, — chorus satis facile doceri potuit, difficilior fuit instructu in eis, quae ab aliis sunt doctae. Nam neque in Equitibus neque in Pace, praesertim cum Vespas atque Aves in comparationem vocaveris, artificiosae vel saltationes vel melodiae extitisse videntur. In Pluto denique admodum exiguae chori sunt partes et neque saltatio neque cantus locum habet, qui negotia facessere potuerint chori magistro. Longe alia ratio fuit Vesparum Aviumque, utpote in quibus fabulis chorus sine dubio difficillimus fuerit

instructu. Magni enim laboris fuit, ut choreutae singulari illo habitu personisque insolitis induti, quae repraesentanda erant animalia apte imitari discerent. Deinde quae in Vesparum exitu extat Carcini filiorumque saltatio admodum fuit artificiosa (v. 1523 sq.). Idem cadit in decursiones, quibus in Avibus (v. 343 sq.) chorus impetum facit in Pithetaerum, sollemnemque in exitu fabulae pompam cum saltatione coniunctam. Prae ceteris verum rationes musicae admodum difficiles videntur fuisse. Tibiarum enim partes tam singulares fuerunt in Avibus, quam in nulla praeterea, quae nobis servata est, Aristophanis comoedia. Praecipue exercitatione haud volgari opus fuit in solius tibiae cantu, qui nulla voce humana concinente post versum 233 et 768 exorditur, quod genus διαύλιον sive μεσαύλιον vocabatur (Hesych., Suid. v. διαύλιον). Quae cum ita sint, luculentissime adparet, cur Aristophanes hanc potissimum fabulam alii docendam commiserit.

Similis est Lysistratae ratio in qua qui extant Atheniensium Spartanorumque cantus et saltationes haud exiguam chori magistri operam flagitaverunt. In Ranis Aeschyleae illae atque Euripideae melodiae non nisi insigni chori magistri arte exprimi potuerunt. Quanquam non necesse est tale quid in omnibus praesertim posterioris temporis probetur fabulis. Nam optime res ita comparata esse potuit, ut sensim taedium caperet Aristophanem cuiusvis χοροδιδασκαλίας, quapropter semper chori magistris uti coepit.

Videmus igitur omnes suadere rationes, ut statuamus Callistratum et Philonidem Aristophanis fuisse chori magistros. Quarum etsi aliae aliis, ubi per se singulas spectaveris, paullo vel certiores sunt vel incertiores, tamen non potest non plurimum valere coniuncta vis omnium.

Cum comica desiisset χορηγία et iam chorus aut nullus aut exiguus esset instruendus in comoediis, Aristophanes Plutum ipse iterum dedit in scaenam. Verum, quoniam

etiam abolito choro ei, qui fabulam commissurus esset in scaenam, complura erant administranda, Aristophanes paullo post ne hanc quidem operam suscepit, sed duas, quas ultimas scripsit fabulas Cocalum et Aeolosiconem Araroti filio dedit docendas, de qua re sic est scriptum in Pluti argumento quarto: *„τελευταίαν δὲ διδάξας τὴν κωμῳδίαν ταύτην ἐπὶ τῷ ἰδίῳ ὀνόματι καὶ τὸν υἱὸν αὐτοῦ συστῆσαι Ἀραρότα [δι' αὐτῆς] τοῖς θεαταῖς βουλόμενος τὰ ὑπόλοιπα δύο δι' ἐκείνου καθῆκε Κώκαλον καὶ Αἰολοσίκωνα.“*

Putavit igitur grammaticus Aristophanem, cum filii poeticam indolem commendari vellet populo, dissimulasse fabulas illas ab ipso esse scriptas easque pro filii comoediis haberi voluisse. Quod si recte ille iudicasset, admodum esset mirum, quod res non melius est occultata, sed in volgus innotuit Aristophaneas illas esse fabulas. Nam ab antiquis excepto Clemente Alexandrino [10]) omnibus Cocalus et Aeolosico Aristophani adscribuntur. At satis constat non multum tribuendum esse in his rebus grammaticorum testimoniis. Qui saepe, cum instituta illa scaenica non satis nossent, mirificas fingebant caussas, quibus moti poetae fabulas aliis docendas dedissent (v. p. 29). Sic grammaticus totam illam quam commemorat filii commendationem prorsus videtur finxisse neque ulla Aristophani fuisse caussa, cur fabulas illas filio docendas mandaret, nisi quod quamvis operam in rebus scaenicis ponendam defugere voluit.

Iam igitur in breve colligamus longae expositionis summam, ut uno adspectu posset intellegi, qua ratione in his rebus Aristophanes usus fuerit.

Aristophanes, quascunque Equitibus priores scripsit comoedias, quia chorum a se instrui posse diffidebat, aliis docendas commisit. Equites aut, quia satis sibi exercitatus visus est, ut ipse posset instruere chorum, aut, quia nemo

10) Clemens enim Alexandrinus in strom. VI p. 752 Ararotis dicit *Κώκαλον*.

hanc fabulam docere voluit, ipse dedit in scaenam. Deinde rem ita instituit, ut eas fabulas, in quibus chori instructio impeditior erat, aliis docendas committeret, doceret ipse paucas tantum, quae haud multam flagitaverunt operam. Cum comica abolita esset χορηγία chorique instruendi labor remotus esset, ipse Plutum dedit in scaenam. Provectiore senectute quamvis aspernatus est scaenicam operam, quapropter Cocalum et Aeolosiconem, quas ultimas scripsit fabulas, Araroti filio docendas mandavit.

Ceterum primo illo tempore, quo in docendis fabulis aliorum opera uti coepit Aristophanes, satis rarus videtur fuisse hic usus. Arystonymus enim in *Ἡλίῳ ῥιγοῦντι*, Sannyrio in *Γέλωτι* (Schol. Plat. op. p. 331 Bekk.), praeterea Amipsias (*Ἀριστοφάνους βίος* p. 155 v. 11) cavillati sunt *τετράδι αὐτὸν γενέσθαι*, quod proverbium in eos cadit, qui in aliorum usum laborant. Quas sugillationes eo spectare, quod per Callistratum et Philonidem fabulas docuerit, disertis verbis vitae tradit scriptor. Cavillati sunt igitur, quod, cum Aristophani scribendae fabulae labor esset exantlandus, chori magistri maiorem gloriae et lucri partem reportarent utpote qui et victores nuncuparentur et inscriberentur publicis documentis acciperentque satis magnum sine dubio pro opera sua praemium. Ita cum sugillarent, ipsi certe chori magistrorum opera non solebant uti. Nam non videtur veri simile eos, quod ipsi fecerint, alii exprobrasse. Accedit quod, si illo tempore sollemnis fuisset usus chori magistris committere fabulas, non tam ad unum Aristophanem, quam ad multos poetas spectatura fuisset illa cavillatio. Qua cum ratiocinatione egregie consentit, quod tragici chori magistri primum quod nobis notum est exemplum vel Ol. 89,3 (422) vel Ol. 90,3 (418) extare vidimus.

Verum non solus inter antiquos comicos Aristophanes usus est chori magistris, sed et Eupolidem constat Ol. 90,1

(420) per Demostratum Autolycum fabulam in scaenam commisisse[11]).

Praeterea a Platone chori magistros in auxilium vocatos esse e Suida colligo, qui voce Ἀρκάδας μιμούμενος sic scribit: „παροιμία ἐπὶ τῶν ἑτέροις πονούντων. οἱ γὰρ Ἀρκάδες μαχιμώτατοι Ἑλλήνων γενόμενοι ἰδίᾳ μὲν οὐδένα ἐνίκησαν, ἑτέροις δὲ συμμαχοῦντες πολλούς. ταύτῃ δὲ τῇ παροιμίᾳ κέχρηται Πλάτων ἐν Πεισάνδρῳ. διὰ γὰρ τὸ τὰς κωμῳδίας αὐτὸς ποιῶν ἄλλοις παρέχειν διὰ πενίαν, Ἀρκάδας μιμεῖσθαι ἔφη.“ Rectissime dubitavit Naekius in prooemio lect. acad. Bonn. a. 1833 p. III, num διὰ πενίαν Plato aliis scripsisset fabulas. Quod si fecisset, certe ab aliis comicis, quibuscum multa habebat iurgia (v. Cobet obss. in Platonis rel. cap. 2), mendicitas eius et ratio illa, qua victum quaereret, adfatim esset exagitata. Sine dubio proverbium illud extitit in parabasi, in qua Plato locutus de ratione, quae inter poetas intercederet et chori magistros, questus est, quod, cum ipsi plurimum laborandum fuisset in scribenda fabula, maior pars gloriae lucrique chori magistro cessisset, cui docendam dedisset comoediam. In quam rem adhibuit illam Ἀρκάδας μιμεῖσθαι locutionem. Quod igitur in Aristophanem cavillati erant Aristonymus, Sannyrio, Amipsias, de sese ipse questus est Plato. Atque illud „διὰ πενίαν“ hariolatus est grammaticus, qui, cum scriptum invenisset Platonem aliis fabulas dedisse docendas, non intellexit, quid hoc esset, sed statuit penuria coactum Platonem suas fabulas aliis vendidisse. Firmatur autem mea sententia, qua statui chori magistris usum esse Platonem, haud leviter eo, quod grammatici de compluribus fabulis dubitant, utrum a Platone an ab aliis viris sat obscuris sint scriptae. Quarum dissensionum nulla probabilior potest cogitari caussa nisi quod chori magistrorum nomina

11) Athen. V. 216 d: ἔστι δ' οὗτος ὁ καιρὸς καθ' ὃν Ἀριστίων ἄρχων ἦν. ἐπὶ τούτου γὰρ Εὔπολις τὸν Αὐτόλυκον διδάξας διὰ Δημοστράτου χλευάζει τὴν νίκην τοῦ Αὐτολύκου.

fabulis illis in publicis documentis erant inscripta. Quos alii auctores habuerunt fabularum, alii eos per quos Plato fabulas ab ipso scriptas dedisset in scaenam. Sic Συμμαχία fabula ab aliis Platoni, Cantharo ab aliis tribuitur (Meineke hist. crit. p. 251), Μύρμηκες comoedia a Suida in utriusque fabularum recensu exhibetur. Qui Cantharus cum satis ignobilis alioquin fuisse videatur, haud est absonum illum Συμμαχίᾳ et Μύρμηξι fuisse inscriptum. Quare alii eum fabularum scriptorem habuerunt, alii Platonicarum comoediarum chori magistrum.

Implicatior est quaestio de fabula, cui nomen fuit Αὖραι ἢ Μαμμάκυθος, quae modo Metageni, modo Aristagorae, modo Platoni adscribitur (Meineke hist. crit. p. 218 sq.). Quae cum semel apud Athenaeum XIII, 571 b ita significaretur „οὐ κατὰ τὰς Μεταγένους Αὔρας ἢ τὸν Ἀριστταγόρου Μαμμάκυθον“, Meinekius ita interpretatus est haec verba, ut statueret, quam Metagenes sub Αὐρῶν nomine docuisset fabulam ab Aristagora retractatam et Μαμμακύθου nomine inscriptam iterum in scaenam prodiisse. Fuit igitur secundum Meinekianam rationem aliquo anno in publicis documentis inscriptum Μεταγένης Αὔραις, tempore aliquanto posteriore exaratum est Ἀρισταγόρας Μαμμακύθῳ. Iam adparet nullo modo ita posse explicari, unde etiam Plato auctor dictus sit Μαμμακύθου (Schol. Aristoph. Ran. 1017), quae dubitari non potest, quin eadem fuerit comoedia atque quae ab aliis Metageni, ab aliis Aristagorae tribuitur. Nam non est simile veri ab aequalibus poetis plures tam singularis tituli fabulas esse scriptas. Praeterea id obstat Meinekianae opinioni, quod in indice fabularum Metagenis a Suida Αὖραι, Μαμμάκυθος, Θουριοπέρσαι etc. referuntur, quae recte idem mutavit Meinekius quaest. sc. II p. 52 in Αὖραι ἢ Μαμμάκυθος. Nam si Meinekius recte Μαμμάκυθον iudicasset διασκευήν esse Αὐρῶν Metagenis ab Aristagora factam, profecto non Μαμμάκυθος, sed solus Αὖραι titulus inter Metagenis relatus esset fabulas. Itaque

aliter explicandae erunt illae discrepantiae. Quae facillime ex eo possunt derivari, quod Aristagoras inscriptus fuit fabulae illi: „*Αὖραι ἢ Μαμμάκυθος*“. Quem alii poetam crediderunt, alii fortasse cautiores virum illum alioquin prorsus ignotum chori magistrum statuerunt fuisse et dubitaverunt, utrum Metagenes an Plato poeta esset habendus. Ceterum Athenaeus in eis quae supra commemoravi verbis sine dubio scribere voluit *τὰς Μεταγένους ἢ Ἀρισταγόρου Αὔρας ἢ Μαμμάκυθον*. Quae cum admodum essent longa atque contorta, scriptor parum accurate poetarum nomina invertit. Rectius VIII, 355 a scribit *ἐπειπὼν τὸ ἐκ Μαμμακύθου ἢ Αὐρῶν Μεταγένους ἰαμβεῖον*, quae luculenter monstrant duo illa nomina eidem fabulae fuisse imposita.

Ex eadem fortasse caussa de auctore *Λακώνων* fabulae est dubitatum (Harpocr. v. *Σθένελος· ἐκωμῳδει δὲ αὐτὸν ὁ τοὺς Πλάτωνος Λάκωνας γράψας*).

Iam in transcursu solvere experiamur quaestionem multifariam a viris doctis agitatam, quae est de Aristophanis et Platonis fabulis Daedali nomine inscriptis. De quibus Clemens Alexandrinus in stromatum libro VI p. 751: „*Πλάτων δὲ*“, inquit, „*ὁ κωμικὸς καὶ Ἀριστοφάνης ἐν Δαιδάλῳ τὰ ἀλλήλων ὑφαιροῦνται.*“ Qui primo adspectu hoc recte videtur exprobrasse. Nam eidem versus a scholiasta ad Aristophanis Nubes 663 ex Platonis Daedalo adferuntur, quos ex Aristophanea fabula cognomine profert Athenaeus IX, 374 b. Apud scholiastam sic est scriptum: „*ἀλεκτρυόνα κατὰ ταὐτόν· οὐκ ἂν ἄλλως λέγοιτο τοῦτο, εἰ μὴ ἐν ἔθει ἦν τότε καὶ τὴν θήλειαν ἀλεκτρυόνα λέγειν· σαφὲς δὲ γίνεται ἐν Ἀμφιαράῳ·*

γύναι, τί τὸ ψοφῆσάν ἐσθ'; ἀλεκτρυὼν
τὴν κύλικα καταβέβληκεν. οἰμώζουσά γε.

καὶ ἐν τῷ Πλάτωνος Δαιδάλῳ

ἐνίοτε πολλαὶ τῶν ἀλεκτρυόνων βίᾳ 12)
ὑπηνέμια τίκτουσιν ᾠὰ πολλάκις.

12) *βίᾳ* recte Dindorfius addidit ex Athenaeo IX, 374 b, Photio,

καὶ [13])

ὁ δὲ παῖς ἔνδον τὰς ἀλεκτρυόνας σοβεῖ."

Cum quibus prorsus consentiunt, quae ex Aristophanis Daedalo adfert Athenaeus IX, 374b: „καὶ Θεόπομπος δ' ἐν Εἰρήνῃ ἐπὶ τῆς θηλείας ἔταξε τὸν ἀλεκτρυόνα λέγων οὕτως·

ἄχθομαι δ' ἀπολωλεκὼς
ἀλεκτρυόνα τίκτουσαν ᾠὰ πάγκαλα.

καὶ Ἀριστοφάνης Δαιδάλῳ·

ᾠὸν μέγιστον τέτοκεν ὡς ἀλεκτρυών

καὶ πάλιν

πολλαὶ τῶν ἀλεκτρυόνων βίᾳ
ὑπηνέμια τίκτουσιν ᾠὰ πολλάκις.

Quae cum prorsus viderent inter se congrua, fidem habebant viri docti Clementi Alexandrino et modo Platonem furti accusaverunt (Bergkius comment. p. 421, in Meinekii fragm. com. II, 2 p. 1014), modo non ausi sunt diudicare, uter utrum expilasset (Meinekius fragm. c. II, 2 p. 620). Quis vero credat nobilissimis poetis adeo exaruisse venam, ut tam tritam sententiam „multae gallinae ova irrita pariunt" ipsi invenire non potuerint? Hoc profecto Atticis poetis tam est indignum, ut aliter consensum illorum apud Athaenaum et apud scholiastam versuum explicandum esse adpareat. Nam, quod fortasse quispiam possit conicere, qui in alterius fabula scripti fuerint, versus, ut sugillarentur, comme-

Suida (v. ὑπηνέμια). Cobetus in obss. crit.' in Platonis rel. p. 81 ἐνίοτε ad scholiastae verba refert statuitque „βίᾳ" ex repetita ultima ὑπηνέμια vocis syllaba ortum esse, ut versus sic olim processerint:

. . . . πολλαὶ τῶν ἀλεκτρυόνων (γύναι)
ὑπηνέμια τίκτουσιν ᾠὰ πολλάκις.

Mihi in tam parvolo fragmento, de cuius nexu sententiaque vix possit iudicari, audacior videtur haec ratio, praesertim cum βίᾳ voculam uno ore Athenaeus, Photius, Suidas testentur.

13) καὶ voculam, quae legebatur ante ὑπηνεμια (sic codd.), recte huc transposuit Hermannus.

moratos esse in alterius fabula, per ipsorum versuum refutatur indolem. Sunt ei enim tam simplicis sententiae, ut nihil prorsus neque in bonam neque in malam partem de eis proferri potuerit.

Primum videamus, quanti in hac quaestione facienda sit Clementis Alexandrini auctoritas. Etenim hunc in libro sexto, ubi agit de furtis ab antiquis scriptoribus factis, Aristobulo Iudaeo usum esse demonstravit Valckenarius in diatriba quam de Aristobulo Iudaeo scripsit. Eius quaestionis egregia supplementa Cobetus praebuit in observationibus criticis in Platonis comici reliquias inde a p. 63. Qui luculentis monstravit exemplis (v. prae ceteris p. 74) Aristobulum copias suas comportasse non perlectis ipsorum scriptorum libris, sed neglegenter excerptis grammaticorum commentariis. Huc usque prorsus consentio cum Cobeto. Quam vero ille ut testimonia removeat Athenaei scholiastaeque, quibus insigniter confirmari videtur illa furti criminatio, instituit rationem, nimis violentam esse credo. Etenim persuasit sibi praeeunte Dobraeo, quae scripta sunt in scholio Aristophaneo „καὶ ἐν τῷ Πλάτωνος Δαιδάλῳ“ corrupta esse et extitisse olim „καὶ πάλιν ἐν τῷ Δαιδάλῳ“. Quam ipse concedet admodum audacem esse coniecturam, cum verba illa a litterarum ductibus perquam sint dissimilia neque ulla cogitari possit ratio, cur librarius pro simplicissima scriptura illud „καὶ ἐν τῷ Πλάτωνος Δαιδάλῳ“ reposuerit. Praeterea — ut largiamur verum vidisse Dobraeum — nihil effecit Cobetus hac ratione nisi ut illa Clementis seu potius Aristobuli criminatio non nitatur illis scholiastae verbis, quibus Daedalus fabula Platoni tribuitur. Cum vero ita abrumpat quaestionem „sed mitto iam haec, quia satis constare arbitror istam plagii criminationem, utpote nullis idoneis argumentis nixam prorsus concidisse“ (p. 82), calidius iudicat vir doctissimus. Nam, ut concedatur recte illum Platonis Daedalum ex scholio esse remotum, multae aliae potuerunt esse rationes, quibus motus criminaretur Aristobulus. Non enim

est veri simile rem illam ab eo temere fictam esse, sed non aliter atque aliarum eius criminationum etiam huius opprobrii rationes, licet ineptissimae, videntur fuisse, quibus in errorem perduceretur.

Quae cum ita sint, reiecta Cobetiana sententia proferam, quid ipse sentiam. Sine dubio *Δαίδαλος* una fuit fabula, cuius auctorem grammatici alii Aristophanem esse, alii statuerunt Platonem, item ut *Σκευαί* fabula modo Aristophani modo Platoni est tributa (Meineke hist. crit. p. 184). Itaque optime fieri potuit, ut grammatici, prout Daedalum vel Aristophani adscripserunt vel Platoni, eosdem versus modo ex Aristophaneo Daedalo modo ex Platonico adferrent, utpote quae non diversae essent sed una eademque fabula. Itaque Aristobulus, cum grammaticorum commentarios perlustraret, versus, quos alius grammaticus ex Platonis Daedalo protulerat, apud alium Aristophani adscriptos invenit statuitque ita in errorem perductus Aristophanem et Platonem „*τὰ ἑαυτῶν ὑφαιρεῖσθαι*".

At redeundum ad propositum. Etiam postquam comicus chorus abolitus est poetae fabulas aliis docendas dederunt. Vnde id possumus concludere superiore quoque tempore non solum chorum doctum esse a chori magistris, sed, quaecunque administranda fuerint, dum fabula in scaenam datur, ob eis curari esse solita. Vidimus Aristophanem Cocalum et Aeolosiconem, quae ex mediae comoediae fuerunt genere, Araroti filio docendas mandasse. Non aliter Eubulus Philippi, qui idem Aristophanis filius erat, opera utebatur[14]). Vnde grammatici, ubi in publicis documentis Philippi nomen scriptum invenerunt, dubitabant, utrum ipsius fabula certasset Philippus an Eubuli esset comoedia Philippo ad docendum commissa. Veluti Athenaeus XIII, 568 f de Nannio fabula verba faciens dubitanter addit „*εἰ Εὐβούλου τὸ δρᾶμα καὶ μὴ Φιλίππου*" (sic Meinekius hist. crit. 342 pro

14) Schol. in Plat. apol. 331 Bekk.: *τρεῖς δ' ἔσχεν υἱούς* (Aristophanes) *Φίλιππον τὸν τοῖς Εὐβούλου δράμασιν ἀγωνισάμενον* e. q. s.

codicum *Φιλιππίδου*)[15]. Inde sine dubio emendanda sunt, quae Athenaeus II, 43 f scribit: „*Εὔβουλος εὐρετικούς φησι τὸ ὕδωρ ποιεῖν τοὺς πίνοντας αὐτὸ μόνον*

τὸν δ' οἶνον ἡμῶν τῷ φρονεῖν ἐπισκοτεῖν.

τὰ αὐτὰ δ' ἰαμβεῖα καὶ ὁ Φιλητᾶς (sic. codd. praeter B, qui *ὠφελίτας* praebet) *φησι*“. Vbi mihi scribendum videtur „*καὶ ὁ Φίλιππός φησι*“ [16]), utpote quod codicum scripturae multo sit proprius, quam quod Porsonus coniecit receptum a Dindorfio atque Meinekio „*καὶ Ὠφελίων φησί*“. Constat enim saepissime nomina *Φιλ* syllaba incipientia a librariis fuisse mutata. Atque quoniam eadem fabula ab aliis Eubulo, ab aliis Philippo tribuebatur, facillime potuit fieri, ut idem versus ab aliis Philippi, ab aliis Eubuli indicaretur. Ex eadem caussa repetendum est quod Daedalus a Themistio ad Aristotelis de anima I, 3 p. 622 Ald. Philippi habetur fabula, Eubuli dicitur ab Athenaeo VI, 247 a. Nam hoc constat ne Athenaeum quidem quaecunque profert antiquorum scriptorum testimonia ex ipsis eorum operibus hausisse, sed multa sumpsisse ex antiquiorum grammaticorum, quos compilavit, copiis, unde consequitur eum in eosdem incidisse errores quibus Aristobulum implicatum esse modo vidimus. Certo enim demonstravit Ran-

15) Quanquam ne opus est quidem, ut recedatur a codicum scriptura. *Φίλιππος* enim et *Φιλιππίδης* eadem sunt nomina. v. Hemsterhus. ad Aristoph. Plut. p. 325. Lobeck Aglaoph. p. 996. Vt igitur Aristophanis pater, avos Philippi a scriptoribus *Φίλιππος* dicitur, *Φιλιππίδης* in lapideo trunco, cui effigies Aristophanis imposita fuerat (Gronov. thesaur. antiquit. Gr. tom. II tab. 68), sic nepos cognominis et *Φίλιππος* et *Φιλιππίδης* adpellari potuit.

16) Dixerit aliquis contra *ὁ Φίλιππος* scripturam, solere Athenaeum quos commemorat scriptores non addito articulo adferre. At in hoc genere summa licentia solebant uti grammatici (Ritschl de Oro et Orione p. 40) et ne Athenaeus quidem certam legem secutus est. Scribit enim *ὁ Φύλαρχος* VIII, 334 a, *ὁ Ἀντιφάνης* 389 b, *ὁ Ἄλεξις* 344 c, *ὁ Ἔφιππος* 347 b. c; *ὁ Δίφιλος* VIIII, 371 b, e,

kius „de lexici Hesychiani origine“ p. 99 sq. neque Aristophanis Byzantii neque Artemidori glossas neque complurium aliorum grammaticorum, qui saepius commemorantur, opera unquam ad manus fuisse Athenaeo, sed, quaecunque ex illis adlata sint, hausta esse ex Pamphili lexico. Aliquoties quidem addit ille, unde vel narratiunculas, quas proponit, vel interpretationes sumpserit, plerumque desideratur eiusmodi significatio. Eodem modo poetarum scaenicorum versus non semper ex ipsis eorum fabulis hausit sed ex variis grammaticorum ipso antiquiorum copiis. Nonnunquam diserte addit se non ipsi poetae debere eclogam dicitque, unde eam sumpserit (VIII, 336 d. XIIII, 640 c. 660 e. 663 e. XV, 678 d. 679 b). Verum saepissime proposita simpliciter ecloga fontem non commemorat: quae res quidem multo minus ei vitio vertendum est quam quod glossarum interpretationes ab aliis grammaticis excogitatas pro suis venditavit. Inde illa miracula, quae saepius narrat de versibus, qui a diversis poetis vel casu repetiti sint vel furto exscripti. Quae res vel sola, etiamsi non alia praesto essent indicia, satis demonstraret eclogas illas non omnes ex ipsis fabulis esse haustas. Veluti XV, 671 d *ἐξ Ὕπνου Ἀλέξιδος* quattuor exscribit trimetros additque *τὰ αὐτὰ ἰαμβεῖα φέρεται, καὶ παρ' Ἀντιφάνει ἐν Ὕπνῳ.* Quod profecto non est mirum, cum non duo fuerint *Ὕπνοι*, sed *Ὕπνος* una fabula, quae ab aliis Alexidi, ab aliis Antiphani est adscripta. Quam rem ex eodem cognoscimus Athenaeo, qui XIII, 572 b „*Ἄλεξις*,“ inquit, „*ἢ Ἀντιφάνης ἐν Ὕπνῳ.*“ Videmus igitur tantam eius fuisse socordiam, ut, cum librum quintum decimum conraderet, iam oblitus esset eorum, quae in decimo tertio scripsisset. Eiusdem generis sunt, quae VI, 262 c profert. Vbi versus promit, qui in Antiphanis *Δυσπράτῳ* sint scripti. Eosdem statim post Epicratis *Δυσπράτῳ* tribuit: „*ἐκ τῆς παρωδέασεως τῶν ἰαμβείων δῆλός ἐστιν ὁ Ἐπικράτης τὰ τοῦ Ἀντιφάνους μετε-*

νεγκών." Nemo erit, quin ex eis, quae modo disputavimus, intellegat Δύσπρατον unam fuisse fabulam, quae ab aliis Antiphani, ab aliis Epicrati sit tributa. Itaque quo minore Athenaeus iure furti insimulavit Epicratem poetam, eo maiore nos Athenaeum insignis socordiae accusabimus. Haud aliter iudicandum est de eis verbis quae Eubuli versuum commemorationem excipiunt (I, 25 f): τὸ αὐτὸ δὲ καὶ Ἄλεξις σχεδὸν ἀπαραλλάκτως. Nec illud dubitationi obnoxium erit unam extitisse Φίλαυλον fabulam ex qua Athenaeus XIII, 563 a tanquam Theophili servavit eclogam, cuius priores quattuor versus Antiphani tribuit Stobaeus Flor. LXIII, 12. Nam etiam Βοιωτία, Ἐπιδαύριος, Ἰατρός, Κιθαρῳδός (hist. crit. p. 329 sq. 435), qui tituli et inter Antiphanis et inter Theophili fabulas recensentur, non omnes diversae comoediae fuisse videntur, sed ex parte eaedem, quae modo Antiphani, modo Theophilo sunt tributae. Multa id genus quanquam in promptu sunt, tamen nolo largiore exemplorum multitudine lectores obtundere. Satis enim constare credo, quaecunque narrantur de versibus apud diversos poetas congruis, ex talibus, quales modo exposuimus, similibusve orta esse erroribus, et absolvendos esse Graecorum poetas elegantissimos iniustissimis opprobriis, quibus postumae aetatis homunculi eos adsperserunt.

Omnino, qui accurate perlustraverit mediae comoediae historiam, non poterit non mirari, quam diversas de singulis fabulis antiqui grammatici habuerint opiniones quantoque incertius de media comoedia eorum iudicium fuerit, quam de antiquae comoediae poetis. Quae cum ita sint, veri est simillimum usitatissimum fuisse illo tempore, ut comici quoque poetae fabulas aliis hominibus darent docendas horumque nomina, non ipsorum poetarum publicis documentis inscriberentur. Vide in diversissimas partes grammaticorum abierunt iudicia, qui modo ab ipso, qui fabulae inscriptus erat, modo ab hoc, modo ab illo poeta fabulam scriptam esse statuerunt. Quarum discrepantiarum cum

alia proposui exempla, tum de Antiphane et Alexide fluctuabant opiniones, quorum res scaenicae ita ignorabantur, ut tres fabulae ab aliis Antiphani, ab aliis Alexidi tribuerentur et haberetur Stephanus modo huius, modo illius filius (hist. crit. p. 321. 376. 377). Tanta autem inter utriusque fabularum titulos similitudo intercedit, ut non possit non veri simile videri complures earum fuisse easdem. Idem in Alexidis et Amphidis cadit titulos (hist. crit. p. 405 adn. 85). Neque ulla Nicostrati est fabula, quin eadem Philetaero tribueretur (p. 348): ut pauca adferam de innumerabilibus quae identidem Meinekius adnotavit in historia critica. Quae cum ita sint, simul atque reputaveris quod supra demonstrasse mihi visum sum illius aetatis tragicos poetas plerumque fabulas chori magistris docendas commisisse, concedas necesse erit non sine probabilitate eandem rationem mediae quoque comoediae poetis tribui.

Iam quaeritur, quo more novae comoediae poetae in hoc genere usi sint. Discrepantiarum, quibus mediae comoediae notitiam obscuratam modo vidimus, nullum paene in nova comoedia extat vestigium. Nam, praeterquam quod Ἄγροικα fabula ab aliis Diphili, ab aliis Calliadae (hist. crit. p. 449), Ἀπολιποῦσα vel Diphili vel Sosippi (p. 452) dicebatur esse, satis certum de poetis illis grammaticorum fuisse videtur iudicium. Itaque erit fortasse qui coniciat ipsos novae comoediae poetas fabulas dedisse in scaenam ipsorumque poetarum nomina publicis documentis esse inscripta. Verum haec res certo adfirmari non potest. Nam quod satis certum de nova comoedia antiquorum grammaticorum erat iudicium, aliter quoque potest explicari. Eo enim tempore, quo novae comoediae poetae florebant, coeperunt antiqui scriptores rebus scaenicis inlustrandis operam dare. Quorum princeps Aristoteles et qui eum secuti sunt, Theophrastus, Dicaearchus ceteri peripatetici, qui his studiis vacabant, cum aequales essent novae, quae dicitur, comoediae, certiorem huius notitiam posteritati tradere potue-

runt. Praeterea Alexandrini et Pergameni grammatici aequales erant posteriori novae comoediae aetati. Quibus haud dubie, quaecunque Athenis prodierant fabulae statim mittebantur, quae insererentur bibliothecis, simulque nuntiabantur, quae de fabulis πίναξι tradenda essent. Vnde imperturbata harum rerum cognitio ad posteros non permanare non potuit. Videmus igitur ex satis certa illa novae comoediae notitia non posse concludi fabulas ab ipsis poetis in scaenam dari esse solitas. Immo, quoniam mediae aetatis comici, quorum oeconomia haud multum diversa erat a nova comoedia, saepe fabulas per alios committebant in scaenam, et tragici quoque illius temporis eodem fere more utebantur, non veri simile est novae comoediae poetas repente abiecisse hanc consuetudinem. Quae cum ita sint, adparet comicos poetas eadem fere ratione usos esse in his rebus ac tragicos.

Initio enim belli Peloponnesiaci coeperunt poetae comici chori magistris uti. Quod cum antiquitus raro esset factum, sensim gliscebat usus. Quin etiam, postquam comicus chorus abolitus est, nil nisi scribere fabulas voluerunt poetae. Atque pertinuit ea consuetudo et ad mediam comoediam et, ni omnia fallunt, ad novam.

Ceterum ne quis miretur tam pauca de chori magistris fabulisque eorum opera in scaenam commissis ad nostram memoriam pervenisse, ut tota res paene evanuerit, meminerit non plura de histrionibus ad nostrum permanavisse aevom. Nam non nisi aequalium scire interfuit, num chorus histrionesque bene partes agerent. Itaque aequales chori magistrorum et histrionum celebrabant nomina, posteritati ea tantum tradebant quae ad ipsarum fabularum poetarumque memoriam pertinebant.

Bonnae, formis Caroli Georgi.











